



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Elisabetha Vidua. 19. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. ELISABETHA VIDUA.

19. Novembris.

**A** Ge superbe ; qui deficiente animo  
 ELISABETHAM ad Servatoris  
 Christi effigiem vides , audi etiam quæ  
 dolor intus loquitur. *Nimirum me terræ  
 pulvisculum purpura involvit , tu , mi  
 Christe , heu ! nudus meam erubescis vicem.  
 Mibi corona auro & gemmis , tibi spinis  
 & sentibus viget. Ego pulvinaria calco , tu  
 locum capiti circumspicis , nec , eheu ? in-  
 venis. Me aula servitia vallant , te soli  
 hostes stipant. I , purpura ; rectius sanguis  
 me Sponsi pinget. Ite gemmæ ; nobiliores  
 sub cruce legam. Abi gravis auro coronâ ;  
 rosas è spinis. Tollite pulvillulos ; crux ,  
 Sponsæ erit lectulus. Secedito amicorum  
 cohors ; dolores merectius ambient. Hæc  
 inquam tantum apud ELISABETHAM  
 potuere , ut jam se ipsa superbior omnem  
 pedibus mundum subderet , totamque  
 miserorum se servitiis addiceret. Ergo  
 igitur extracto quàm amplissimo xeno-  
 dochio , ingentis familiæ mater nongen-  
 tis quotidie victum ipsa ministrare , a-  
 quam capiti pedibusque affundere , sordes  
 abstergere , ipsa adeo foedissima ulcera  
 nobilissimis osculis honorare. quid ? quod  
 conjuge è vivis erepto , arce pulsa omnes  
 injurias ipsamque famem forti animo  
 concoxit , damnatisque regis fufis pul-  
 chriora*

Zz 3

chriora



726 VITÆ SANCTORUM. 20. Nov.  
chriora sibi ipsa è cælo nevit. Interea  
apud Deum omnia potuit, & matrem  
exemit è piacularibus flammis, juvenem  
verò nuper ab impuris ignibus ardentem  
sanctioribus cæli amoribus tantum non  
emori fuit. Morienti ut aliàs sæpè Chri-  
stus adstitit, & accinuère Cælites avicu-  
lam induti. Bonis igitur avibus è vitâ  
abiit. *Ex Iacobo Montano.*

*Si desideras Deum videre sublimem,  
humilem prius IESUM videre curato: in-  
tuere prius exaltatum serpentem in deserto,  
si videre desideras Regem in solio residen-  
tem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet  
humiliatum: reprimat ista tumorem tuum,  
ut illarepleat desiderium tuum. S. Bern.  
ferm. 1. de verb. Isaia.*

S. DASIVS MART.  
20. Novembris.

**I**D quod palàm hodie, & sine larvâ  
dæmon facit, hoc jam olim fecit Sa-  
turnum mentitus. Voraverat hic plus  
quàm inhumanâ ingluvie filios suos,  
& viscera sua in viscera crudeli dente  
congresserat. Scilicet divinitatem hæc im-  
pietas meruit, cui deinceps orbis pue-  
rorum sanguine ac morte litaret. Et  
tenuit hic mos non unam ætatem, atque  
Christiana sæcula etiam infamiâ suâ as-  
perxit. Ira Dorostorum urbs scelere, quod  
nec, qui alluit illam, Ister satis eluet,  
annis